

**1998-11-23 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Corensis’**

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

**CONSTITUTIO APOSTOLICA**

**CORENSIS\***

**INTRA VENETIOLAE FINES CONDITUR NOVA PROVINCIA  
ECCLESIASTICA, CORENSIS SCILICET, QUAE AD  
DIGNITATEM ECCLESIAE METROPOLITANAEE ATTOLLITUR**

Usque omnium Ecclesiarum spiritalem prosperitatem persequentes, cuncta subsidia disponere contendimus quo id facilius efficaciusque obtineatur. Quapropter postulatis occurrentes Conferentiae Episcoporum in Venetiola, de plerorumque consensu, favente Venerabili Fratre Leonardo Sandri, Archiepiscopo titulo Aemonensi seu Civitatis Novae et in Venetiola Apostolico Nuntio, ex concilio Congregationis pro Episcopis, Apostolica Nostra potestate suffulti, haec quae sequuntur decernimus et statuimus. Novam Provinciam Ecclesiasticam condimus *Corensem* appellandam et eam archiepiscopalim metropolitanae sedis fruentem dignitate, iuribus privilegiisque, quae complectetur Ecclesiam eiusdem nominis et dioecesim Punctifixensem, hactenus ad Provinciam ecclesiasticam Maracaibensem pertinente. Antistitem pro tempore statu et gradu Metropolitae honestamus secundum sacrorum canonum praescripta. Ideo Corensem in praesentia Episcopum, scilicet Venerabilem Fratrem Robertum Lückert León, ad dignitatem archiepiscopalem et Metropolitae condicionem promovemus, omnibus videlicet tributis iuribus privilegiisque consentaneis. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Leonardum Sandri, quem supra memoravimus, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re demum ad exitum perducta, documenta confiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet obsistentibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio et vicesimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nonagesimo ottavo, Pontificatus Nostri vicesimo primo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

IOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, Protonot. Apost

Carmelus Nicolosi, Protonot. Apost.

\*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 2, pp. 148-149